ſiderium reliquit, petenda eſt magni Cardinalis virtutum expreſſa effigies. Ibi octoginta annorum vita ſic oculis ſubjicitur, ut in tam longo curriculo pars omnino nulla ſit proprio ſuo ſplendore non inſignis. Ibi debitam ſibi admirationem vindicat ut à primâ ſtatim ætate maturos fructus efferens, ſic in extremâ virens adhuc, vigenſque ingenium: animus ingens, in maximis negotiis exercitatus, ac variis Europæ gentibus ad patriæ ſuæ gloriam oſtentatus; in proſperis non elatus, non demiſſus in adverſis, ſed utriſque altior & par ſibi: quanta mentis celeritas! quanta excogitandi vis! quanta facilitas ac mollities ad omnium animos fingendi ſe ſe ac flectendi! Neſtorea ut ſenectus, ſic ab ipsâ juventute facundia, quæ ad ſenſus audientium cum ſuavitate affluereet & illaberetur. Hæc & alia, quæ vel in occulto majora ſunt, lenitas, humanitas, natum ad amicitiam pectus, deſpicientia divitiarum, quarum pretium nullum noverat niſi quatenus ad largiendum ſuppeterent, ſtudium tuendæ Religionis, quam ex ipſius cogitatione nunquam removit

aut otii voluptas aut tumultus negotiorum, jam diſertiſſimè tractata ſunt. Nos quibus tantum hunc Virum, quantus fuit, complecti totum non licet, ea duntaxat quæ ad Anti-Lucretii hiſtoriam pertinent, explicanda ſuſcipimus.

Cùm è Poloniâ rediens anno 1697 Abbas Poliniacus in Bataviâ aliquandiu commoraretur, plurimis in colloquiis cum acutiſſimo viro Petro Baylio, ſed qui in cauſâ Religionis tanquam in Sole caligaret, de iis quæ ſpectant ad Religionem velitatus eſt. Igitur incenſus ſtudio veritatis atque virtutis, concepit animo magnitudinem hujus operis, quo Lucretium Atheorum antiſtitem atque oraculum collato pede profligaret. Itaque paulò pòſt in Boni Portûs Abbatiæ ſeceſſu ſecluſus à negotiis ac ſibi redditus, quinque Anti-Lucretii libros conſcripſit. Hoc primum fuit Poëmatis rudimentum. Poſt quatuor annos Lutetiam reverſus de iis quæ chartis mandaverat, cum Malebranchio Metaphyſicorum principe communicavit. Is & propoſitum operis, & magis etiam opus ipſum admiratus, quædam tamen

reprehendit: id enim impunè licebat apud eum, qui moneri se quàm laudari mallet: & ex perspicaciſſimi Philoſophi monitis nonnulla auctor ipſe emendavit.

Vigebat tunc temporis diſciplina Carteſii. Hanc Poliniacus, dum primam Philoſophiæ navaret operam adoleſcens, in ſcholas advenientem viderat; hanc ipſe alacriter exceperat ſinu, adhuc à pleriſque & à magiſtro etiam ſuo repudiatam, ac publicâ diſputatione fuerat magnâ cum ingenii laude tutatus. Eam igitur quaſi filiolam ſuam amplexabatur: cúmque ex Carteſii ſententiâ ſuam ipſe ſententiam inſtitueret, celeberrimos ætatis ſuæ Carteſianos conſuluit, quos familiari cum ipſo conſuetudine junxerat conſenſio ſtudiorum. Adhibuit etiam Bolæi cenſoris aures, teretes illas & ſuperbas: is & annotavit quædam; & univerſum Poëma, quod variis temporibus perlegit, prorſus conſonum eſſe judicavit incorruptæ antiquitati. Denique haud fere quemquam præteriit Poliniacus aut doctrinæ aut ingenii laude cognitum ſibi, quin ejus, cùm

facultas tulit, judicium periclitaretur.

Ex privatis doctorum hominum colloquiis in Aulam celeriter Anti-Lucretii fama perlata eſt. Exarſit repentè apud omnes cupiditas ingens audiendi, legendi, exſcribendi. Quinetiam eos Principes, quorum oculos & aures vel pauliſper detinere magnum erat, tanta ceperat Anti-Lucretii admiratio, ut apud eos ex eleganti oblectatione in ſtudium verteretur. Nam & Cenomanenſium Dux primum librum in Gallicum ſermonem tranſtulit; & eamdem operam in plurimis Poëmatis partibus collocavit Sereniſſimus Dux Burgundiæ; nec puduit natas ad ſceptrum manus transferre ſe ad illud opus, quo pertractando ipſa Religionis arma tractari viderentur. Hos ſobolis ſuæ luſus egregios cognoſcere concupivit LUDOVICUS DECIMUS-QUARTUS, qui ut erat ingenio magno, & acerrimo rerum optimarum ſenſu excellens, lectione mirum in modum delectatus, plurima memoriter complexus eſt; & ex iis quædam interdum palàm Abbati Poliniaco è re natâ alludens appoſitè proferebat.

Anno 1706 Romam à Rege missus Poliniacus, ut in Tremolii jam Cardinalis locum Auditor Rotæ succederet, susceptí laboris meditationem trans Alpes secum tulit. Nam ipse sibi Musæum in mentis recessu condiderat omni litterarum elegantiâ cultissimum, quò se se libentissimè proriperet, si nihil officii moraretur. Itaque in rhedâ, in strepitu, in ipsâ turbâ facilè secum ipse commentabatur.

Postquam ab erudito viro Lancizio medico suo multa de Anti-Lucretio præclara audivisset Clemens Undecimus, ejus ut cognoscendi copiam sibi faceret, ab Abbate Poliniaco postulavit: cui pluribus in colloquiis recitanti, cùm attentas aures præberet, vi Poëseos & Latini eloquii nitore mirificè capiebatur Summus Pontifex, qui maximis virtutibus eximiam litterarum intelligentiam addiderat. Ipsi quidem placebat minùs doctrina Cartesii; sed eam tamen quânam arte Religioni quasi ministram ac famulam auctor adjungeret, mirari se fatebatur.

Nec deinde Ultrajecti, dum gravissimas

totius Europæ curas agitaret Poliniacus, ipsi tamen susceptа ad tuendam Religionem studia exciderunt: quippe & subcisivis horis sermones eâ de re conferebat cum eruditis Batavis; & primum operis librum recitavit doctissimo Clerico; qui cùm multos versus mirabili memoriæ celeritate arripuisset, eos in menstrua scripta conjectos in publicum effudit: quo facto Poliniacum à pluribus recitandis absterruit.

Crescebat interim opus, cùm quidquid progrederetur auctor, in vastiorem se altitudinem ac velut profundum invehi sentiret. Affluebat enim fecundissimum ingenium nacta uberrima materies: dumque cum Epicuro præliabatur, in ceteros etiam Atheos Epicuro velut auxiliares arma convertebat. Spinosam igitur obiter proculcavit: in Hobbesium ex transverso impetum fecit. Quin & in causâ Religionis suspicios us, atque *omnia tuta timens*, Lockium & Neutonum perstrinxit: quamvis hunc maximè ob Mathematicarum artium præstantiam admiraretur, & novam ejus de colo-

ribus opinionem unus omnium maximè approbaret : quam etiam, ubi ea primùm in Galliam appulit, à quibuſdam doctis hominibus minùs benignè exceptam publicis experimentis confirmavit. Et ipſi quidem gratias egit Neutonus plenâ urbanitatis epiſtolâ, quâ ſe affirmabat maximo cum deſiderio moriturum, ſi Anti-Lucretium totius Europæ votis tantopere expetitum legere ſibi non contigiſſet.

Comparatâ igitur magnâ ſylvâ rerum ac ſententiarum, ita decreverat, abſolutis adversùs Atheos decem libris, novum adversùs Deiſtas, quos vocant, certamen inſtaurare libris duobus, quibus & Religionis ab ipſo Deo traditæ neceſſitatem, & propagatam ad nos à primo parente labem, & Chriſti divinitatem demonſtraret. Id & in hoc ipſo Poëmate pollicetur ; & in calce hujus operis ad alterum illud jam flectere currum videtur. Habebat etiam in animo, id declarare fuſiùs ; nihil aliud fuiſſe Idololatriam, niſi quamdam *hæreſim*, quæ à primariâ Religione in pravum deflexerat :

deflexerat : quod paucis delibat, Libro nono verſ. 885.

Has magno Cardinali dignas cogitationes, quas diuturnæ vitæ ſpatio negotiorum moles non oppreſſerat, non ultimus etiam morbus & proximæ mortis afflatus excuſſit. Nec profectò nefas fuit Chriſtiano morienti, reſpectare pauliſper fœtum hunc ſuum, qui præſertim cœleſtium rerum, quibus jam propior erat, imaginem objiceret. Cùm igitur affectum dolore corpus in cubili verſans, nihil uſquam levamenti inveniret, mente adhuc integer, recordatus eſt carminum aliquot ſuorum, quibus Libro primo verſu 1047, ægrotantem animum & rerum terreſtrium cupidine jactatum ac nuſquam quieſcentem cum ægro corpore comparat. Hos ſcilicet verſus, & omnis litteraturæ peritus, & in Italicâ verſatiſſimus, imitatus erat ex his egregii Poëtæ Dantis * Alighieri verſibus,

——Simigliante a quella' nferma,
Che non può trovar poſa in ſu le piume,
Ma con dar volta ſuo dolore ſcherma.

* Dante, Purgat. Canto 6°.

Hîc autem à multo acriore magiſtro, proprio ſenſu incitatus, eamdem ſententiam verſibus cecinit aliquot pulcherrimis, quos à familiaribus quibuſdam, qui aderant, exceptos ex eorum memoriâ delevit dolor, præter hunc ultimum Virgiliano affectu imbutum,

Quæſivit ſtrato requiem, ingemuitque negatâ.

Fuit hæc facundi ſenis, ut Tullii verbis utar, quaſi cygnea vox; ac paulò pòſt à rerum divinarum contemplatione ad res ipſas perfruendas evolavit.

Relinquebatur jam celeberrimum Poëma; ſed cujus varias partes variis temporibus perpoliendo, diſſolutas ac diſſipatas in unum corpus revocare nunquam curaverat. Hoc ut ederetur; opus erat amico, qualem Plinius * Octavio ſuo contingere exoptat, *& fideli, & erudito, & laborioſo, qui tantum curæ intentioniſque ſuſcipere & poſſet & vellet.* Talem ipſi, blanda amicitiæ conciliatrix, conjunctio voluntatum atque virtutum paraverat illuſtriſ-

* Plin. lib. 2°. epiſt. 10ª.

ſimum Abbatem Rothelinum; quem cùm & ingenio ſagaci præditum, & in omni vitæ officio imprimis diligentem longo ſuaviſſimæ familiaritatis uſu fuerat expertus; tum præterea noverat tam amicum ſibi, ut quidquid à ſe commendatum foret, id ille habiturus eſſet ſuis rebus ſanctius & antiquius; tam ſtudioſum Religionis, ut ipſius defenſionem vel à quolibet alio profectam promovere ac tueri maximè paratus eſſet.

Huic igitur Cardinalis paucis ante obitum diebus Anti-Lucretium, pretioſiſſimam hereditatis ſuæ partem, in manus tradidit; ac ſedulò recognitum ederet-ne an ſupprimeret, liberum ipſi de totâ re arbitrium permiſit. Is unus recenti Virgilio pro Tuccâ & Vario fuit. In medio dolore, quem ejuſmodi amici funus inuſſerat, hoc unum ſolatii nactus eſt, ut creditum ſibi cariſſimi Viri fœtum omni curâ foveret. Itaque rem vel ipſi Scriptori moleſtam ac difficilem impigrè ſtatim aggreſſus eſt. Quæcumque exemplaria paſſim abierant, inveſtigare; ea tum inter ſe, tum cum iis quæ ab

ipso Cardinali acceperat, comparare; locos eosdem sæpius ac variè ab auctore retractatos pensitare etiam atque etiam, ut postremam ipsius manum agnosceret; totum Poëma crebrâ lectione concoquere, ac mente & memoriâ comprehendere universum; tum concisa minutatim ac sine ullâ notâ confusa innumerabilia fere additamenta, quasi disjecta tantæ molis membra, ad quem quodque locum natum esset, in eo sic includere, ut quadrarent: hæc & alia ejusmodi eo plus habuerunt laboris, quo magis tacitum & obscurum. Id autem ut efficeret, induendus illi fuit ipse Scriptoris animus: quod quidem assequi nullo negotio poterat, propter eximiæ indolis cognationem. Nam germana in utroque ingenii facilitas, elegantia, ubertas: ita ut opus ipsum tractari se non sentiret alienâ manu; nec tam amicus auctoris, quàm auctor ipse sibi superstes edendo Anti-Lucretio incumbere videretur.

Nec tamen suo unius arbitrio stetit Rothelinus. Peropportunè in Galliam adduxerat

strenua doctos homines pernoscendi cupiditas illustrissimum Abbatem Cerati, perpetuum Universitatis Pisanæ Rectorem; qui cùm plurimas Europæ gentes, nobili doctrinæ commercio circumiret, quam secum magnam virtutis, humanitatis, scientiæ litterarumque famam attulerat, ubique reliquit ampliorem. Hujus limatissimo judicio, quod olim ipse Cardinalis in opere conficiendo perspexerat, in eodem digerendo plurimùm usus est Rothelinus. Quinetiam quoscumque noverat, qui aut de rebus ipsis, aut de poëseos præstantiâ judicare possent, eos omnes, quos potuit, modò adire singulos, modò congregare plures; recitandoque Poëmate eorum sententiam explorare: quam deinde secum ipse diligenter expendebat, ne quid vel pertinaciâ, vel obsequio peccaret. Hos tam multos nominare longum esset, partim aut splendore honorum maximorum, aut litterarum titulis jam insignes; partim eâ modestiâ, ut cum eo qui nomina eorum efferret, ferè proditionis agerent. Supererant etiam pauci, neque illi quidem

infimi inter eruditos ordinis, quibus Anti-Lucretium recitare in animo habebat: quorum omnium ſuffragiis, quod amicis ſæpe teſtificatus eſt, ultimum quaſi punctum addere decreverat ejus ſententiam Viri, quem ut ſummum juris in Galliâ dicundi moderatorem, ita ſupremum & ſeveriſſimarum artium & politioris humanitatis judicem noverat; in quo Viro cùm omnia, quæ apud cæteros quos adierat, collecta in unum ingenii ac ſapientiæ ſubſidia reperturum ſe intelligebat, tum amantiſſimam Cardinalis, quem ille cariſſimum habuerat, recordationem. Is Anti-Lucretio, quem in ipſis olim auctoris manibus naſcentem viderat, ipſe verſaverat, optimis conſiliis non ſemel ornaverat, ultimus arbiter deſtinabatur; ut quemadmodum hoc Poëma Viros non magis altiſſimo honoris gradu quàm omni doctrinâ eminentes Davias & Paſſioneos in Italiâ monitores ac patronos habuerat, ſic & haberet in Galliâ Dagueſſæos.

Verùm hanc tantam conſiliorum opportunitatem Rothelino præripuit immatura mors:

quam cùm inſanabili pectoris tabe jam propiùs obrepere ſentiret, ne priùs è vitâ diſcederet, quàm debitam amico exſolviſſet fidem, conſcriptâ ad Summum Pontificem dedicatione, Anti-Lucretium nomine ſuo vulgandum, authenticâ pactione nobis commiſit. Nos aliquot difficultatibus diutiùs, quàm vellemus, retardati, opus bis poſthumum, & parente & tutore orbatum, adoptandum nunc tradimus Religioni & Litteraturæ.

Abſolutâ jam Poëmatis hiſtoriâ, liceat nobis conſidere parumper ad tumulum illuſtriſſimi Abbatis; & non ſine lacrymis reſpectare eum, cujus luctuoſo interitu Pietas, priſca Fides, Litteræ congemuerunt. Heu lenitas! Heu morum æquabilitas! Quis illo cum vitæ ſuavitate ſeverior? Quis cum ingenii venuſtate ſanctior? Quidquid ſupererat aut Religionis officiis, quæ prima ſemper apud eum fuerunt, aut temporibus amicorum, id totum concedebat otio erudito. Ut amans litterarum, ſic in Litteratos propenſus, & ſibi & cæteris collegerat cùm nummos antiquos, quàm multos & elegantes!

tum lautiſſimam ſupellectilem librorum, quibus commodandis non minùs, quàm legendis delectabatur. Inoffenſo vitæ curſu ad metam, quamvis citò, tamen placidè provectus, in longo mortis ſegniter adventantis proſpectu, nullo ſuo, magno & illuſtris familiæ & amicorum gemitu, acerbo quidem fato, at æternitati maturus extinctus eſt; perpetuo virtutum Chriſtianarum tenore, ſine ullâ oſtentatione, ſibi per omnia ſimilis & conſtans; cujus ſupremus dies id unum inſigne habuit, quòd ipſi fuerit rectè factorum ultimus. Verùm ſuarum laudum ut intimum teſtem, ſic optimum interpretem habuit clariſſimum Virum Freretum *, cujus ille probitatem ac fidem non minùs, quàm immenſam penè eruditionem fuerat conjunctiſſimâ neceſſitudine proſecutus.

Sed ne tam diuturnæ exſpectationi moras etiam addere longior Præfatio videatur, pauca

* Eloge de Monſieur l'Abbé DE ROTHELIN, prononcé dans l'Académie Royale des Inſcriptions & Belles-Lettres, par M. Fréret.

tantùm ſubjicientur, quæ noſſe operæ pretium eſt.

I°. Ex Libro nono, ubi Scriptor lampadem, ut ait ipſe, præferens, Lectorem in terræ mariſque viſceribus circumducere in animo habebat, ut ibi quoque ſummi Artificis manum deprehenderet, nihil exſtare repertum eſt, niſi titulum & viginti quatuor primos verſus, in quibus Auctor ad novam hanc viam ſe ſe accingit. Eos verò verſus Lectori invidere religio fuit; cúmque Libro decimo, quo collectis breviter prioribus faſtigium imponebatur univerſo Poëmati, deeſſet ipſum caput, ejus quod reliquum erat, noni Libri principio Rothelinus ſub alio titulo ſubjunxit.

II°. Vix neceſſarium videtur admonere Lectorem, in Lucretio refellendo, cujus in magnâ fœditate rerum ſincerum maximè & caſtum eſt loquendi genus, ejus etiam verba quædam aliis inſolita, veteremque ac ſingularem dicendi ſpeciem ac figuram ſæpe Poliniacum